

omnipotens facere, quod ad suam pertinet bonitatem, qui etiam supernaturalia fidei documenta tamclare, copiose & miraculose monstravit, quod ab eorum credulitate nullus se potest rationabiliter excusare. ¶ Ad quartum, quod Deus providit homini per dona nature de naturali perfectione, & per clarissimam gratie de necessitate ad maximam hominis dignitatem, quod ad tam sublime finem a Deo, est institutum, quod naturalia non sufficiunt, ipsum ad finem illud perducere, sed supernaturalibus donis desuper decoratur, ac gubernatur, & supernaturali sapientia informatur. Inferiora vero ad naturalem tantummodo finem sunt instituta. ¶ Ad quintum, quod philosophia est ordo animae valens ad naturalem dirigere finem. ¶ Ad sextum, quod magni illi philosophi loquuntur de virtutibus naturalibus acquisitis, secundum gradum earum perfectum: non tamen de virtutibus gratuitis, & infusis, sine quibus ille non sufficit ad salutem, nec fecerunt quoniam a privato amore lycere purgata, & fide, ac charitate suscitum. ¶ Ad septimum, quod philosophia est naturalis, non supernaturalis agnitio diuinorum, ac humanorum. ¶ Ad octavum, quod philosophia medicum suo modo passionibus, & peccatis, prout impediunt a virtutibus, acquisitis, & sine earum: non tamen simpliciter, prout a charitate, & vera salute impediunt: nec sine theologia, & gratia docet, in quo sit plena felicitas, nec eam attingit. ¶ Ad nonum, quod ex principiis per se notis naturaliter, non sequuntur, nisi quae per naturales sublimationes, & syllogisticas deductiones elici queunt.

Philosophia quae passionibus moderatur, & virtutibus.

Brevis solutio quaestionum quarundam, & introductio voluminis documentorum absque argumentis.

Quaestio. Scotus.

Viteatur prolixitas, mouenda, & solvenda, sunt aliquae quaestiones minus principales sine argumentis compendiose. ¶ Queritur ergo, an theologia subalternet alicui scientiae, & an supponatur alicui parti philosophiae. ¶ Circa hoc Scotus ait: Theologia nulli alteri scientiae subalternatur, quia principia eius non accipiuntur ab aliqua alia scientia, sed immediate ab essentia diuina: quae ut haec, est primum subiectum in ea. Nec etiam subalternat sibi scientiam aliam, quia est omnis scientia, quae non includit imperfectionem, & nihil subalternatur sibi ipsi: Similiter nulla scientia subalternatur theologiae beatorum, quoniam nulla scientia habens principia immediata, quae non reloluuntur in priora in illo genere, subalternatur alteri. Haec Scotus.

Aegidius.

¶ Verum tamen Aegidius videtur sentire, quod theologia uiatorum subalternetur theologiae beatorum, quia principia theologiae nostrae, puta articuli fidei, sunt nota in se, & per se in luce scientiae beatorum, & hoc confondere videtur dictis Thomae, & Richardi inductis, dicentium theologiam esse scientiam: quoniam quamuis principia eius non sunt nota in ea per se, at tamen per se nota sunt in alicui scientia, ut pote beatorum.

Contra Scotum.

¶ Porro quod Scotus affirmat, principia theologiae non accipi, ab alia scientia, sed immediate a di-

uina essentia, videtur obscurum, Siquidem certum est, quod non sunt accepta ab alia scientia naturali humana, sed non apparet quod sint accepta immediate a diuina essentia. Scriptura quippe canonica, pro magna parte reuelata est Moysi, & prophetis ministerio angelorum, quorum obsequio facte sunt reuelationes propheticae, ut in libro de Angelica hierarchia diuinus Dionysius praefatur, & doctores allegant, ac tenent communiter. Sicque a scientia angelorum reuelatio illa immediate proflixit, & mediate principaliter, a Deo. Vnde beatus Stephanus legitur improperasse Iudaeis incredulis, Accipitis legem in dispositione angelorum, & non custoditis. Omnia quoque, quae in euangelio, credimus, praenunciata sunt in lege, & prophetis, ut in prologo super Isaiam fatetur Hieronymus, & super illud Iezechielis, Ecce retinui medio rotae, scribit Gregorius. In super oborum censetur, quod asserit Scotus, theologia esse omnem scientiam, eum a ceteris scientiis sit distincta, & specialis scientia, nisi forsitan dicere velit, quod virtualiter exzeras, includat scientias, ut supra exposuimus est. Hoc tamen non impediret aliarum scientiarum subalternationem sub ea, nec sequeretur, quod subalternetur sibi ipsis, ut arguit Scotus.

Scriptura per angelos reuelata

Dionysius martyr.

22722

22722

22722

22722

¶ Praeterea de hac quaestione Alexander de Haes dicit: Omnes aliae scientiae traduntur secundum ordinem rationationis a principis ad conclusiones, ad erudiendum intellectum, non ad ipsam mandandum actum: theologia vero proponitur secundum ordinem informationis, praecipue principiorum agibilium, ad bene agendum secundum imperium amoris atque amoris. Hinc theologia, non est sicut scientia alia, nec inter alias numeratur, ut alicui pari philosophiae supponatur. Dicitur quoque diuina, non solum quia a Deo, vel de Deo, sed quia a Deo, & de Deo, & reductiua ad Deum, Sed, & aliter conuenit ei esse a Deo, quam scientiis ceteris. Est namque aliquid verum et verum, & est verum, ut bonum, & utrunque est a Spiritu sancto. Sed cum accipitur verum, ut bonum, illud bonum aut est, ut bonum mortale, aut bonum gratuitum. Si gratuitum, sic est assimilatio, ad spiritum sanctum, qui appropriate est bonitas. Idcirco huius veri accipio, est a spiritu sancto per modum inspiratae. Hinc doctrina haec antonomastice dicitur inspirata, & edita a spiritu sancto. In alijs vero scientiis, speculatus videlicet, est acceptio veri, ut veri, imo, & boni ut veri. In practicis autem moralibus, & si sit acceptio, veri ut boni, non tamen, ut boni gratuiti, sed moralis: propter quod non dicitur edita a spiritu sancto. Est etiam theologia de Deo, non sicut metaphysica, aut alia scientia, quia non agit de Deo, secundum mysterium trinitatis, neque secundum sacramentum humanae reparationis. Est item reductiua ad Deum, per principia timoris, & amoris diuini, ex fide misericordiae, & iustitiae Dei, quod nulli ex alijs scientiis conuenit. Haec Alexander.

theologia quare diuina dicitur.

2 Petri.

theologia cur edita dicitur a spiritu sancto.

¶ Insuper queritur, an theologia subalternet sibi alias scientias, naturales, videlicet, & humanas. ¶ Circa hoc scribit Aegidius: Modus subalternationis scientiarum est triplex. Vnus est, quando una alteri tanquam principali accollatur, & ordinatur ab illa, ut emineat. Sic, primo metaphysice dicitur, quod omnes aliae scientiae sic metaphysice famulantur. Vnde scientia quae considerat optimum in aliquo genere, habet alias regulare, & ordinare, & aliquid habet ei ancillari. Secundus modus subalternationis est,

Quaestio Aegidius.

Triplex subalternandi modus.

est,